DE

INFLAMMATIONIBUS INFANTUM INTERNIS GENERATIM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CHRISTIANUS DAVID MEYER

REINSTADIENSIS.

DIE IX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXIX

H. L. Q. S.

BEROLINI.

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

Introductio.

Magnum pathologiae ac therapiae caput de inflammationibus tam externarum quam internarum partium est generatim conceptis, quippe quae, varias formas indutae, cum aegrotis periculum minitantur ac medicis negotium facessunt, tum aliis morbis ansam praebere sane plurimis solent. Inflammationes autem internae accuratiori examini eo sunt submittendae, quod neque tam facile quam externae cognoscuntur, et partium internarum functiones mirifice turbant inhibentque, et aegros vix opinantes in discrimen vitae vocant, neque remedia effectum satis certum ad partes inflammatas exerere valent. Multo graviores inflammationes internae infantum sunt, quum partim corpus puerile tenerrimum aegrius earum sit patiens, partim diagnosis difficilior, frequentia major ac medela magis ardua sit.

Quamobrem operae pretium mihi videtur, expositionem generalem inflammationum viscerum in cavis corporis puerilis primariis tentasse, primum quod plurimi auctorum in operibus suis, de hac re conscriptis, obiter eas tractaverunt, vel plane omiserunt, si ab iis discesseris, quae singulariter ad aetatem puerilem pertinert, v. c. hydrocephalo acuto, quem inflammatio tunicarum cerebri praecedit, et angina membranacea, deinde quod inflammationes internae partim rarius cognoscuntur, partim morbi plane contrarii pro iis habentur.

---

§. 1.

Inquirere licet, cur plerique scriptores medici in compendiis suis infantum morbis peculiares sectiones minus dicaverint? Eo potissimum argumento ductos esse puto, quod crediderunt, haud frequentius illas quam in adultis observari, tum quod persuasum sibi habuerunt, methodum antiphlogisticam inflammationibus genuinis partium internarum adultorum adhibitam et salutarem, mutatis paucis, quae aetati infantili, teneraeque constitutioni responderent, internis quoque infantum inflammationibus opitulari.

Me judice autem inflammationes infantum internae aeque ac multi alii morbi infantiles v. c. nonnulla morborum cutis acutorum genera, dysenteria, diarrhoea rel. curatius etiam considerandae sunt. Haec enim non minus adultos quam pueros

adoriuntur, et tum demum periculum maximum ostendunt, si inflammatio iis accedit, quod temeritate aut negligentia facillime evenit.

§. 2.

Accedit etiam ad hoc, ut aetas infantilis inflammationibus maxime sit obnoxia, quia corpus tenerrimum potentiarum externarum impatientius, quam aetate provectum est, quia porro multi processus evolutionis in eo eveniunt, quibus actuositas vasorum provocatur et sanguinis congestio augetur, id quod in conformatione, eruptione et mutatione dentium videmus. Post partum pulmones respirare incipiunt, sanguis cursum alium capit, in tractu intestinorum digestio perficitur, actuositas hepatis et cutis immutatur, et organa sensuum paulatim excoluntur. Quibus, si potentiae externae accedunt, facillime exoritur inflammatio, cujus rei veritatem praesertim tempus hiemale ac vernum contestatur. Dies severi, humidi, frigidi, nec non sicci, subinde sole excepti, praesertim si venti gelidi boreales et subsolani perflant, et cutis cum pulmonibus aëre cubili retento, saepe immodice calido, debilitata est, necdum atmosphaerae frigidiori assuevit, multum inflammationes juvant. Dubium non est, quin aër interdum indolem singularem referat, cujus partes constitutivae naturae specificae sint, quam experimentis physicis eruere non licet, quaeque

efficit, ut in cutem, pulmonem rel. corporum horum tenuium vim inimicam exerat, unde reactio eorum propria imminuatur vel extinguatur, febrisque inflammatoria enascatur necesse est. Quapropter eam interdum populariter et quibusdam anni temporibus frequentius grassantem deprehendimus. *) **)

Henkius ***) quod si inquit communi inflammationis nomine quoscunque status actuositatis vasorum incitatae comprehendimus, qui congestione sanguinis, majori vasorum pulsatione, calore incitato et secretione adaucta vel depositione materiae plasticae conspicui sunt, opinionem de inflammationibus internis, infantes crebrius quam adultos vexantibus, ab Heimio †) propositam, veritati consentaneam esse elucescit.

---

*) Horns Archiv für medicinische Erfahrung. III. B. 1809. pag. 182.

**) Henkes Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten. II. B. 1818. pag. 21.

***) Ebendaselbst. II. B. pag. 3.

†) Horns Archiv. III. B. 1809. pag. 181.

§. 3.

Irritationes vasorum et congestiones sanguinis inde exortae frequentius utique infantes quam adultos tentant, quae si altiorem ad gradum evectae in inflammationem abeunt, jam ex his consequitur, infantes praesertim bene nutritos crebrius quam adultos inflammationibus esse obnoxios. Si irritatio, aut si mavis, auctus vegetationis nisus cum affectione universali conjunctus est, nomine febris inflammatoriae insignitur, quamvis spatium ejus fortasse brevissimum sit; sunt enim hujusmodi febres quarum decursus valdopere acceleratur. Si autem exsudationes materiae serosae, lymphaticae vel plasticae statum illum subsecutae sunt, ut puta in cerebro ex hydrocephalo, et in trachea ex angina membranacea, vix sola irritatio et congestio, sed inflammatio exculta necdum observata in causa fuit, quamvis reliqui exitus, ut suppuratio, gangraena, induratio etc. deessent. Corpori enim infantili semper dispositio major subest ad exsudationem et plasticitatem, sive inflammatio celerius sive tardius decurrat. Medicum vel tardiorem vel celeriorem decursum non considerare, sed usque auxilium indoli febris accommodatum praestare oportet, quia usus praecipuus initio cernitur.

§. 4.

Pro indole suà inflammationes infantum modo verae seu activae, modo passivae sunt; saepius tamen activae, quippe quae cum actuositate vitali aucta conjunguntur, et opportunitate ad typhum destituuntur.

Secundum phaenomena, quae exhibent, nunc primariae nunc secundariae, modo acutae modo chronicae, benignae aut malignae sunt. Prolixior inflammationum disquisitio hic loci aliena videtur, partim quum proxima causa inflammationis nondum explicabilis sit, partim ea, quae super decursu, phaenomenis et exitu ejus monenda venirent, satis jam comperta sint. Haec igitur monuisse sufficiat, inflammationem, si judicium medicorum plurimorum amplectimur, in actuositate vitali vasorum morbose excitata consistere. Ex his plane liquet, peculiarem proclivitatem ad inducendas inflammationes processibus evolutionis naturalibus stabiliri, quippe qui aetati puerili proprii sunt. Porro accidit, ut praevalente in organismo infantili irritabilitate et receptivitate injuriae externae tanto facilius hunc afficiant, et inflammationes inducant.

§. 5.

Dispositio ad inflammationes in iis semper organis maxima sit necesse est, quorum maxima

est actuositas. Quapropter membrānae pituitariae nasi, oris, tracheae et tubi intestinalis, tunicae serosae in hydrope cerebri et pneumonia, cutis externa in erysipelate et exanthematis cutaneis et glandulae in statu scrophuloso commodissime inflammationibus patent. Quamvis irritabilitas aucta in mājoribus vasorum ramis et pulmonibus aetate demum juvenili insigniorem inflammationi diathesin praebeat, experientiae tamen testimonio constat, infantes frequentius, et omnium fere frequentissime huic obnoxios esse. Ratio hujus phaenomeni partim in pneumoniis epidemicis latet, in quibus propria est aëris indoles, qua potissimum infantes opprimantur; partim materiae morbosae dantur, quibus pro natura ipsarum facultas competit, pulmones et organa respirationis prae ceteris adoriendi, ut morbilli et contagium tussis convulsivae. Denique pulmones in affectionibus catharrhalibus et inflammatione tracheali facillime corripiuntur, si rerum conditiones favent, nec malo huic occurritur, priusquam latius dispergi possit.

§. 6.

Diagnosis inflammationum internarum in adultis subinde alicujus difficultatis est, id quod partim a sede et corpore quod laborat, partim a rebus aliis circumstantibus dependeat necesse est.

Inflammatio vel acuta vel chronica esse, vel partem exiguam occupare et superficiem tenere, vel organon totum aut plura simul obsidere et profundius descendere potest, quibus functio organi magis minusve alienatur. Organon affectum plus minus nervorum habeat doloremque aut majorem aut leviorem exhibeat licet. Functio alienata alterius organi facilius quam alterius oculis patet. Inflammatio porro vel idiopathica et sola, vel aliis morbis stipata, eorumque sequela esse potest. Individuum modo corripitur irritabilitate modo sensibilitate minori conspicuum, modo sapiens modo desipiens, vel aliis morbis ratione sua privatum. In infantibus accedere solet quod saepenumero loquendi facultate destituuntur, quod vitium nec capere, nec alios de eo certiores reddere possunt, quod medicum perhorrescunt et doloribus morosi ac difficiles fiunt. Quamobrem summa observatione opus est, ut diagnosis vera patescat. Signa quibus inflammationes externae sese produnt, diagnosin internarum vix faciliorem reddere valent. Rubor maximam partem oculos praeterit, quia organa externis integumentis obducuntur; calor, tumor et durities modo inflammationes latissime diffusas eorum viscerum notant, quae a superficie proxime absunt, v. c. pulmonum, hepatis rel. Itidem nonnullae inflammationes doloribus vacant, qui si adsunt, pueri saepenumero

incerta ac perversa de sensu topico eloquuntur. Hic modo fides habenda est vocibus et gestibus, qui tactum externum sequuntur. Quos ut intelligamus, et tumorem forte obvium deprehendamus, infantes omnibus vestimentis exui necesse est.

§. 7.

Signa autem quibus verior inflammationum internarum diagnosis constare potest, haec sunt:

1) Notae febris inflammatoriae, quae affectione universali et actuositate adaucta systematis vasculosi se prodit.

2) Functiones partium inflammatarum vel impeditae vel alienatae.

3) His superaddi potest observatio conditionum ad id contribuentium, v. c. dispositionis evolutione praevia stabilitae, aut morbo scrophuloso inductae, aut naturae inflammatoriae constitutionis aëris endemicae vel epidemicae, vel exanthematum acutorum, aut praesentium aut praegressorum, v. c. tussis convulsivae, dysenteriae, diarrhoeae rel.

4) Effectus curae antiphlogisticae in exemplis dubiis est considerandus.

5) Denique, si pessimum acciderit, ad sectionem cadaveris est confugiendum.

§. 8.

Notae, quas habitus communis suppeditat, seu febris symptomata in inflammationibus acutis internis nunquam ab infantibus absunt, at vero non tam facile ut signa et comites inflammationum se exhibent. Prodromi subinde unum vel aliquot dies ante praecedunt. *) His inseri possunt: alacritas amissa, fastidium ciborum, membrorum lassitudo, frontis calor, rubor faciei alternans, sitis aucta, horripilatio, alvus adstricta, obstructio nec raro sternutatio tussis etc.

Quum vero eadem symptomata in affectionibus catarrhalibus, in dentitione et functione tractus intestinalis alienata observentur, et saepissime sponte sua vel remediis lenioribus transpirationem juvantibus et resolventibus post sudores et excretiones urinae turbidae cedant, haudquaquam inde redundat probabilitas, inflammationem suspicandi. Si vero, quod non raro et interdum subito sine

*) Henkes Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten, II, B. 1818. pag. 19.

prodromis accidit, febris continens cum ardore ingenti apparet, cujus nulla vel exigua est remissio, si pulsus est satis acceleratus, plenus, durus ac magnus, si urina vel retinetur vel parce descendit, si sensum ardoris et rosionis movet, si intense tincta et rubra redditur, optimo jure inflammationem magis minusve gravem suspicari licet. Cutis per totum plerumque corpus, maxime circa partem affectam ardet, praeterea ab initio sicca est et serius sudores partium singularum accedunt, qui citra levamen sunt. Respiratio brevis et accelerata, somnus irrequietus, pavoribus anxiis et jactationibus corporis est interceptus, facies inquietudinem et anxietatem exprimit, oculi vigore ac splendore, genae rubore circumscripto notantur.

His adjiciuntur sitis perpetua, fastidium cibi, lingua sicca et rubra, alvus maximam partem parca vel obstructa. Signis hisce communibus praegressis de inflammatione non dubitandum est, quanquam illa variis mutationibus pro inflammationibus singulis subjici possunt. Notae peculiares, quae ad sedem inflammationis et organon affectum pertinent, in descriptione inflammationis, speciali considerandae veniunt. Observatio exacta dispositionis, quatenus ea corporis constitutione et aetate stabilitur, multis in exemplis de inflammatione certiores nos faciet. Pueri robusti bene nu-

triti, cum vegetatione praevalente facillime inter processus evolutionis, si injuriae externae accedunt, inflammationibus veris tentantur.

Infantes quibus cutis est alba et tenera, irritabilitas systematis vasculosi permagna, vigor eximius et facies colorata, et quibus juxta haec constitutio magis irritabilis quam valens a parentibus per hereditatem contigit, non minus facile, si quid externi vel interni incommodi accesserit, inflammationibus objiciuntur.

Attamen etiam infantes laxioris corporis et spongiosi, quinimo tenues et male nutriti, aliis morbis jam detenti inflammationibus veris, experientia teste, non vacant, quamvis rarius in eas incurrunt, et methodum antiphlogisticam eodem modo quo supra positum est recipiunt. Perperam putant sanguinis detractionem infantibus tenuibus inimicam esse, quippe qui plethora non obsideantur, quum experientia communis doceat, his non minori utilitate quam adultis sanguinem mitti. Verum etiam alia antiphlogistica, plasticitatem minuentia non esse negligenda, ex eo patet, quod inflammationes infantum prae ceteris ad plasticitatem et exsudationem pronae sunt.

§. 9.

Nec minus character epidemiae multis in

morbis, non protinus ab initio naturam certis quibusdam signis manifestantibus, medici diagnosin et medendi rationem dirigere consuevit. Pneumoniae epidemicae, praesertim infantibus infensae nullo tempore non observatae sunt. Epidemiae anginae et anginae membranaceae universim notae sunt, quarum haec, cui ex pluribus annis abunde attentionis tribuebatur, curiosissime est pervestigata ac descripta. Imo etiam enteritides, quae febrium mucosarum nomine comprehensae sunt, frequentissime naturam epidemicam induunt. Non auctor sum, medicum opinionibus praeconceptis obsessum ad aegrotos adire oportere, at si diagnosis inflammationis non ex toto certa est, quamvis symptomata communia statum sthenicum indicare videantur, curandi rationem ad praecepta therapiae generalia componat, primum antiphlogisticis insistat, et prout inde morbi status evadit, bene videat, an medela congrua sit nec ne. Satius enim est naturae normam prosequi, eamque juvare, quam systemati cuidam pertinaciter indulgere, illamque vi aliqua in partes suas trahere. Diagnosi autem multis difficultatibus impeditae cadaverum sectiones lucem afferre possunt, quae plus justo adhuc negliguntur, id quod ex catalogis mortuorum, tabellis publicis insertis perspici potest*),

*) Beobachter an der Spree.

quibus infantes defuncti falsissimis saepe nominibus morborum designantur. In nostra urbe sex fere millia hominum quotannis pereunt, quorum bis mille quingenti et quod excurrit, annum octavum vel decimum nondum superaverunt. Ex horum numero septingenti spasmis, trecenti vel quadringenti tabe, trecenti fere dentitione difficili, centum apoplexia, circiter centum tussi convulsiva, quinquaginta dysenteria, totidem diarrhoea, reliqui hydrope, hydrocephalo, exanthematis acutis aliisve morbis decedere traduntur. Si pensitaveris, hos morbos utplurimum eo letales evasisse, quod vel inflammatio serius accessit, v. c. ad tussin convulsivam, morbos cutaneos acutos, dysenteriam, diarrhoeam etc. vel quod illi ex inflammatione oriundi, ejus exitum referebant, ut spasmus, apoplexia, hydrops, tabes etc. facillime elucescit, institutis cadaverum sectionibus varias destructiones se prodituras fuisse, quae inflammationibus ansam praeberent. Inflammationes haud paucae, vix mente conceptae, hujusmodi sectionibus innotuerunt.

§. 10.

Interdum quidem post mortem organon aliquod vel ex parte vel ex toto inflammatum deprehendimus, ita ut collectis humoribus bis aut ter aut amplius magnitudinem, crassitiem et gra-

vitatem naturalem superet, ut, quod pulmonibus et hepati accidit, color appareat ex opaco rubicundus, lividus, niger. Nonnunquam gangraena jam supervenit, ita ut vel loca exigua vel organon integrum sit gangraenosum, destructum, in pulticulam redactum aut disruptum, qua ratione lien creberrime affici solet. Haec tamen phaenomena abesse, et in eorum locum exsudationes et effusiones seri, lymphae purisve in cava viscerum vel in ea, quibus viscera continentur, succedere possunt. Superficies viscerum tegumentis caseosis, coagulatis, inspissatis et membranaceis obductae reperiuntur, organa ipsa nonnunquam inter se conglutinata et connata, inflata, emollita vel indurata sunt.

§. 11.

De medendi ratione communi inflammationum internarum infantilium fusius dicere non licet, quum unumquodque organon inflammatum singularem curam requirat, ideoque medela universa varias mutationes in deligendis et adhibendis medicaminibus recipiat. Interim tamen ad praecepta quaedam generalia componi potest, quae notione inflammationis jam constituuntur. Quamobrem in animo non est curationem inflammationis organorum singulorum exponere, sed tantummodo de

methodo curandarum inflammationum generali strictius disserere, scilicet de antiplogistica.

§. 12.

Simulac de inflammatione vera persuasum nobis habemus, proximum est, ut sanguis detrahatur, ad irritabilitatem auctam, qua unaquaeque inflammatio stipatur, deprimendam. Sanguinis detractio quam commodissime et celerrime est instituenda, quapropter venaesectio huic fini optime respondere videtur, quippe qua sanguis promtissime evacuatur. Quum vero infantibus teneris vasa sanguifera minora sint, quam quae huic periculo satisfaciant, nec copia sanguinis major detrahi debeat, potiori cum eventu hirudinibus utimur. Locus detrahendi sanguinis parti inflammatae quam proximus esse debet, ut quam celerrime ex ea parte sanguis evocetur. Hirudines, quae tardius sanguinem expromunt, id commodi praestant, ut proxime ad locum affectum admoveri possint. Copia sanguinis mittendi, quae pro aetate et vehementia inflammationis differt, partim numero hirudinum majori, partim profluvio diutius sustentato modum justum explebit. Si vulnusculum ab hirudine factum per bihorium sanguinem fundit, rationibus constat unciam sanguinis amitti, vix vero dimidiam, si vulnus remota hirudine clauditur. Per unam hirudinem aliquot uncias

sanguinis extrahi, quanquam Henkius affirmat, *) vix crediderim, etiamsi profluvium sanguinis vaporibus et fomentationibus calidis, spongia aqua calida madefacta, juvatur, nisi forte accidit, ut circa frontem, cervicem vel alium quemlibet locum vás sanguiferum majoris amplitudinis laederetur. Ex more autem infantibus teneris per primas vitae hebdomadas non plus una vel duabus hirudinibus opus est, **) quia sanguinem modo parcum demitti convenit. Quum per hirudines sanguinis evacuatio non adeo acceleretur, vix auctor extiterim, hujus consilii causa numerum augendi, quia infantes plerumque illas perhorrescunt, nunquam non aliqui dolores moventur, sic ut pueri sollicitentur et lacriment, ex quo alia incommoda nasci possunt. Interest etiam, ut hirudines in loco ponantur cui os subest, quo facilius pressione nimius profluxus possit caveri.

§. 13.

Ubi sat sanguinis redditum est, vulnera saepenumero sanguinem edere pergunt, quod si incidit, boletum igniarium mollem imponi convenit, cui, ne decidat emplastrum tenax superdetur, et

---

*) Henkes Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten; II. B. 1818. pag 26.

*) Horns Archiv. III. B. 1810. pag. 339.

digito leniter imprimatur. In hoc vero nonnunquam difficultatis aliquid deprehenditur, quum infantes haud quiescant, sed plorent et respiratione anxia thoracem vel abdomen vehementer agitent. Hoc in casu medicamina stiptica, aut si necessitas urget, lapis infernalis in usum vocari debet. Autenriethius fila aliquot contorta linamenti carpti, in turundae formam redacta, immitti jubet. Etiamsi vero hac ratione sanguis compescitur, cautione tamen opus est, ne per somnum res impositae decidant ac profluvium recrudescat, quo, si vas fortasse laesum est, infantem interimi posse, exemplis comprobatur. *) **) Quocirca chirurgum admotis hirudinibus non prius infantem deserere oportet, quam is in tuto sit, vel ii, quibus cura infantis est commissa, satis sunt edocendi.

§. 14.

Facta sanguinis missione, quam deinceps pro rebus circumstantibus iterari convenit, ex reliquis medicamentis locum principem mercurius dulcis meretur. Quum fere nulla sit adultorum inflammatio interna, cui calomelas non opituletur, infantibus longe praestantiorem exhibet usum, qui-

*) Horns Archiv III B. 1810. pag. 340.

**) Henkes Kinderkrankheiten. II B. 1818. pag. 28.

bus scilicet vis ejus specifica maxime respondet. Quam ob causam recentiori etiam aevo contra anginam membranaceam et hydropem cerebri acutum summo cum studio est commendatus et utiliter adhibitus.

§. 15.

Quamvis tamen calomelas in omnibus inflammationibus tam eximiam sortiatur praestantiam, nunquam tamen, inflammatione activa et exculta, venaesectioni substitui potest, quum facultate careat, auctam vasorum actuositatem celeriter deprimendi. Quinimo ne congestio quidem sanguinis, aut inflammatio incipiens omissa sanguinis detractione alio quoquam remedio compesci et caveri potest. Semper enim reputare oportet venaesectionem subito vim suam exercere. Quantum autem temporis requiritur, ut calomelas per intestina deferatur et a vasis lymphaticis resorbeatur, quod fiat necesse est, si effectu ejus intractum intestinorum derivatio ab aliis organis effici, aut vi ejus revolvente, quam cum sanguine et systemate lymphatico communicat, contra affectionem inflammatoriam quidquam praestare debet. Venaesectione autem praemissa, proximum est ut ad hunc confugiamus. Duo sunt potissimum argumenta, quae utilitatem ejus praemagnam in inflammationibus internis vindicant, usumque ejus pro natura partis affectae tuentur.

1) Calomelas vi specifica in systema sanguiferum et lymphaticum, ut remedium solvens, coagulationi et exsudationi renitens agit. Quamobrem in omnibus iis casibus utilitatem praestat, ubi exsudationes materiarum lymphaticarum, pseudoorganisationes membranarum spuriarum, aliaque concrementa, cohaesiones rel. timenda sunt. A nobis etiam eo praesertim consilio ad inflammationes tracheae et bronchorum in ăngină membranaceă in usum vocatur, ut concrementa membranacea futura arceantur, et quae jam adsunt, destruantur; porro in pulmonum inflammatione ut expectoratio juvetur, denique in hepatitide ut stagnationes et exsudationes caveantur et tollantur.

2) Calomelas derivando in tractum intestinalem agit, cujus motum peristalticum et secretionem materiarum serosarum auget, unde stimulus contrarius efficitur. Propterea, si metus exsudationis materiae serosae subest, et derivatio per stimulum contrarium necessaria est, ingentem usum suppeditat. Ergo potissimum inflammationibus membranarum cerebri, et hydrocephalo acuto adhibetur. Ut vero nunc stimulus contrarius et derivatio fiat, nunc plasticitas diminuatur, modo doses majores modo minores ejus ingerantur. Illae magis derivant, hae potius solvunt, et sic pro rerum conditionibus tempus ac dosis deligitur. Mi-

nime autem ignorare oportet, pueros experientia teste calomelanis usum multo diutius et auctioribus dosibus sustinere quam adultos, quoniam vis ejus in glandulas salivales longe serius se expromit; quapropter audacius usui ejus insistere licet, ut eventui maligno occurratur.

§. 16.

Auxiliis internis inflammationum infantilium, si activae sunt, salia media refrigerantia et solventia inseruntur, et medici permulti testantur, sal ammoniacum prae ceteris usum egregium exhibuisse. Potissimum facultas ejus mucum solvendi consideranda venit, ideoque exemplis omnibus utile est, ubi calomelane abstinendum esse judicamus, v. c. inflammationibus catarrhalibus et gastricis lenioribus, quibus opportunitas est muci secernendi. Nitro, ut sali medio celeberrimo ad inflammationes internas adultorum, in infantibus raro locus est, quoniam semper observatione maxima opus est. Etenim majores ejus doses facillime ventriculo et intestinis obsunt. Porro huc referenda sunt cathartica leniora, v. c. ex vegetabilium classe manna et tamarindi; e salibus natrum phosphoricum, natrum sulphuricum, sal Seignette et kali aceticum.

§. 17.

E ceteris medicaminibus, quibus hic locus et usus est, fomentationes calidae et humidae, cata-

plasmata ex herbis aromaticis et aceto, e fermento cum eodem aceto, inunctiones ex oleo calido, unguentum hydrargyri, linimenta volatilia, balnea calida et clysmata oleosa emollientia et sopientia laudem merentur. Vesicantia minus prosunt, quippe quae irritamenti causa inflammationem corporis infantilis intendunt. Vesicatorium unum, cujus ambitus pollicis quadrati est, statum febrilem corpori infantis tenero inducere valet.

Sunt quidem, qui irritantia aliaque commendaverint; verum haec auxilia non solum in statu inflammatorio supervacua, sed etiam saepissime perniciosa sunt. Quum praeterea superiora sufficant, omnino omitti possunt. — Aegrotuli regimini frigidiusculo subjiciendi, sed a perflatu aëris defendendi sunt; corpus eorum tenui veste contegi, haud vero involvi convenit, ne partes affectae pressione periclitentur. Pro potu mucilaginea, commodissime ex avena decorticata propinanda sunt, eoque magis, quum nihil ipsi desiderent, quamvis siti perpetua urgeantur. Omnes denique cibi iis sunt subtrahendi.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS ADJECTUM

Ego Christianus David Meyer, natus Reinstadii, ducatus Bernburgensis pago, anno nonagesimo primo seculi superioris, die XXVI M. februarii, per decem annorum spatium scholam illius loci frequentavi, et a candidato theologiae Moering privatim institutus sum.

Anno MDCCCXII lectiones medicas audiendi initium in universitate litterarum Berolinensi feci. Bello anno MDCCCXIII cum Frankogallis coorto, expeditioni interfui. Mense octobri MDCCCXIV, pace composita, in patriam, primumque Berolinum cum militum legionibus redii. Ibidem auctore Perill. Goercke in academiam medico - chirurgicam militarem Berolini florentem receptus sum, annoque sequente, bello inter Borussos Gallosque renovato, nomine chirurgi inferioris legio-

nem, quae ab Alexandro imperatore nomen habet, secutus sum. Post breve illud studiorum meorum intervallum sub finem anni ejusdem Berolinum redii, et denuo summa cum assiduitate litteris vacavi. Anno MDCCCXVII cursum anatomico-chirurgicum et examen publicum rite perfeci, nihilominus autem in studiis medicis post hoc tempus versatus sum.

Hoc studiorum meorum tempore, ut publicas praelectiones omittam, in has disciplinas privatim traditas, quae ad medicinam et chirurgiam pertinent, incubui:

Celeb. Link de botanice; Illustr. Knape de osteologia, splanchnologia, anthropologia forensi et arte conscribendi formulas medicas; Illustr. Rudolphi de anatomia universa, a quibus viris etiam arte cadavere dissecandi institutus sum; Perill. Hufeland de institutionibus medicis practicis et therapia speciali, a quo etiam viro in praxi medica exercitatus sum; de chirurgia generali, speciali et akiurgia Illustr. Graefe; in exercitationibus obstetriciis et institutionibus practicis medico-obstetriciis Illustr: de Siebold; circa physiologiam et materiam medicam Celeb. de Koehnen; Illustr: Mursinna de akiurgia, acologia et arte obstetricia, tum theoretica tum practica; Celeb. Turte de physice, chemia ex-

perimentali et pharmacia; Celeb. Hufeland jun: de pathologia et semiotice; Illust. Horn de pathologia et therapia speciali; Celeb. Kluge circa doctrinam de ossibus fractis et luxatis et Exper. Friedlaender de institutionibus practicis obstetriciis interfui praelectionibus. Jam Tentamine et examine rigoroso coram gratiosa Medicorum facultate rite superatis, spero fore ut dissertatione publice defensa summi in medicina honores mihi concedantur.

T H E S E S.

I. Signum certum et constans scarlatinae non est.

II. Causa morbi proxima a morbo ipso discrepat.

III. Sunt morbi insanabiles.

IV. Crusta inflammatoria sic dicta non est certa inflammationis nota.

V. Clorosin non a menstruis suppressis, originem trahere, puto.

IV. Tussin convulsivam morbi inflammatorii indolem referre, nego.
